+

R.de in Chro. P.

P. C.

Scripsi nuper, Eminentissimum nostrum quæsiuisse ex me, quisnam fecis-
set expensas pro Oedipo; meq respondisse, Cæsarem. Subiunxit ipse; quan-
tum dedit Cæsar? cui ego; 2000 scutorum, quia non plus petiuit
P. Athanasius, putans nimirum satis fore; at minimè satis fuere, quia
expendit ferè 4000, ob multas et magnas figuras æri incisas, ob fu-
sos characteres nouos, etc. quæ tunc dicebam. Post dies paucos venit
in manus R. P. nostri Rectoris fasciculus litterarum ad quatuor Ele-
ctores sub inuolucro mihi exterius inscripto, nullis ad me additis
litteris, nulla facta mentione quem in finem mitterentur litteræ. Has
P. Rector statim, me inscio, misit litteras ad tres Electores Ecclesiasticos.
Eminentissimus noster, cui ego dixeram Oedipum iam in via es-
se, quæsiuit ex P. Breunig, qui tradidit litteras, vbinam essent
libri; fieri enim mentionem librorum. Idem faceret vtiq reliqui
Electores. Si ego habuissem litteras, seruassem in aduentum librorum.
Noster Eminentissimus lectis litteris dixit; debeo ergo aliquid
dare P. Athanasio. Tum iterum quæsiuit, quantum dedisset Cæsar:
responsum fuit, dedisse 2000 aureorum. Subiunxit Eminentissi-
mus, parum id esse. Quid inde concludit R.a V.a? ego concludo,
R.am V.am fore memorem promissi quod exarauit in Memoriali
mihi tradito, nempe daturam se mihi portionem meam. Non
fui ausus petere à R. P. Prouinciali, vt permitteret me descendere Tre-
uiros, et Coloniam, ad offerendos Electoribus libros, prout R.a V.a mi-
hi commendauit in suo Memoriali: si R.a V.a id peteret, obtine-
ret, et fortè non esset absre. Sed festinatione opus est, quia ~~[illegible]~~ iam dis-
cessit R. P. Prou. ad visitandam Prouinciam; quare litteræ ad ipsum
non huc, sed Herbipolim destinandæ sunt, vt citius ad ipsum mitti
possint. Quid si R.a V.a obtineret ab Adm. R. P. N. vt me mitteret
R. P. Rector huius Collegij in absentia R. P. Prouincialis? Stimulan-
dus etiam est Reuerendissimus Ratisbonensis, vt maturè ad me
mittat libros, antequam eam Herbipolim: ibo enim Herbipolim,
ad docendam ibi Mathematicam et Ethicam. Expectamus huc in-
tra paucos dies Serenissimum Neoburgicum. Si haberem Triumphum
Cæsareum, offerrem illum nomine R.æ V.æ. Quæso mittat mihi
aliquot exemplaria in similes euentus, vt et pro Principe Ful-
densi, Bambergensi, et Weimariensi qui Erfordia misit ad R.am
V.am Characteres Mexicanos, et alios similes. Saltem mittat mi-
hi multa exemplaria, suo tempore, Itinerarij, quod gaudeo tam
citò absoluendum. Expectamus item intra paucas septimanas
Reginam Sueciæ. O si haberem Oedipum, quem illi offerre possem!

...istia ... Sacerdos, et ...
... ex Italia, non haberi facultatem excipi...

Hæc læta. Nunc ad tristia. Libri illi, quos anno præterito Augustã
misimus, videntur fuisse maledicto subiecti, et iræ DEI. Causam suspi-
cor esse, quia, ut reor, die festo, et quidem Paschali, fuerant à ba-
iulo Petro colligati in fascem. Madefacti fuere in via Augustam
versus, ut scit R.a V.a, cum iactura aliquorum. Curavi ego Mo-
nachio huc mitti Musurgias aliquot, et Obeliscos, dolio inclusos.
Hi fuere Herbipolim primùm, deinde Francofurtum, tandem huc
delati. Aperui eadem hora, qua advenit, doliolum, et reperi li-
bros iterum omnes madefactos, et pene putrefactos. Exposui in
cubiculo meo, ut siccarentur; sed ita repleverunt fœtore pulmo-
nes et cerebrum, ut me fermè enecuerint, relicto ingenti capi-
tis dolore, catharro, et tussi. Exposui in alio cubiculo; sed in-
tra unam noctem fuerunt blattis repleti, et fermè corrosi. Sunt
pleraque prima et ultima librorum folia planè destructa, et pro-
inde nullus volet eos emere. Si aliqua occasione, non tamen
per postam, posset socius R.æ V.æ mittere tria aut quatuor pri-
ma folia Musurgiæ, in quibus nimirum est titulus libri, et to-
tidem ultima, in quibus est registrum, colligerem ex omnibus
aliquot exemplaria divendenda.

Rogo iterum R.am V.am, ut cum suis libris mittat quamprimum
meos quos tradidi P. Koler, quia neque hic, neque Herbipoli ullum
eorum invenio. Nescio etiam quomodo progrediar in Magia mea
naturali, cum Herbipoli vix liber sit qui mihi in eum finem
servire possit. Conabor tamen facere quod potero. Misi D. Schön-
wettero ideam meæ Mechanicæ Hydraulico-Pneumaticæ, eamque
imprimendam ipsius sumptibus obtuli; sed nondum habui responsum.
D. Plumius voluit videre, et legere librum: divulgat meam
famam in Aula, et in urbe. Dabit et ipse operam, ut imprima-
tur. Pantometrum Kircherianum est sub censura Patrum Herbi-
polensium. Princeps noster ibit in Autumno Herbipolim, ibique
morabitur per Hyemem. Dixit, non expedire ut R.a V.a di-
vulget secreta sua, præsertim Chymica; præstare ut solis Princi-
pibus communicentur. O si R.a V.a mitteret ad me artificium
linguarum Principi nostro offerendum, et explicandum! Quã-
to id faciat. Si hic legerem Mathematicã, laborem maiorem cum
fere quam Herbipoli, et iuventutem magis afficerem. Sed quid fa-
ciam? Debeo deijcere P. Philippum Colbinum deijcere è nido suo, quē
valde illubenter deseret, quia meliorem locum nunc quidem non
habebit. Diu clamarunt: potuissent non exaudiri, et præferri pe-

filio R. P. Assistentis. Gros geschrei, vndt wenig Woll. R.ª V.ª
salutet mihi P. Ciler, P. Martinum, P. Albertum, P. Reyne, D.
Andream Zum Sàm Zù. item meum dulcissimum et om:
nino aureum Güldenlowe cuius solius desiderio ad vos
redirem] cum D. Todt, Lenle, et Wolmar. Vale Pater mi,
et me Deo commenda. Moguntiae 22. Julij 1655.

39

Saluto perhumaniter R. P.
Hieronymum Sanctium, et
omnes nostros Germanicos, mitt
meinem lieben Hanel. Gaudeo
de honorifica disputatione P. Geraldini,
et aliorum nostratium.

R.ª V.ª

Servus in Christo
Gaspar Schott.

+

Reuerendo Patri in Christo
P. Athanasio Kirchero Soc[tis]
IESV.

Roma.

Roma